



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. An quævis minutissima materia potest validè consecrari?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

strandæ; res enim indeterminata demonstrari nequit. Non est tamen necesse singulas hostias designari quoad numerum, sed sufficit eas designari in toto objecto quod proponitur, v. g. ut Sacerdos intendat consecrare omnes hostias præsentis, etsi ignoret illarum numerum, vel circa illum erret, ut patet ex Rubrica cit. Imò si plures hostias habeat quam sumere statuerat, omnes consecrantur; quia omnes sunt ei moraliter præsentis, & intendit consecrare id quod præsens est. Nec error speculativus tollit intentionem absolutam consecrandi materiam præsentem, quam ut debitam censetur habere implicite, nisi eam expresse excludat. Hinc si putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Missale Rom.

Q. 6. An quævis minutissima materia potest valide consecrari?

Resp. Aff. Modò sit sensu perceptibilis, nam talis materia potest esse signum sensibile, & per verba consecrationis ad sensum demonstrari. At si particulæ panis vel vini ita sint exiguæ, ut nequeant naturaliter sensu percipi, non possunt valide consecrari. Quia non possunt demonstrari præsentis in ordine ad sensum, prout exigunt voces *hic* & *hoc*; & quia Sacramentum debet esse signum sensibile. Non

Non potest autem fieri consecratio, quin conficiatur Sacramentum.

Q. 7. *An potest validè consecrari materia in maxima quantitate?*

Resp. Aff. Modò sit secundùm se totam moraliter præsens consecranti. Ita commun. Quia 1. Christus nullam certam quantitatem definivit, & absolute dedit Sacerdotibus potestatem consecrandi panem & vinum, absque limitatione ad certam aliquam quantitatem. 2. Quantacunque sit materiæ quantitas præsens, designari potest per pronomen *hoc*, & verificatur formâ. Non licet tamen majorem quantitatem consecrare, quam tempore opportuno possit absumi; quia periculum esset ne species putrescerent. Quòd si consecratur nimis magna quantitas cum injuriâ Sacramenti, erit abusus potestatis à Christo concessæ, qui non impedit substantiam Sacramenti.

Q. 8. *An panis sine vino, vel vinum sine panè consecrari potest?*

Resp. I. Non potest licitè. Quia 1. Christus præcepit ut utraque materia consecraretur per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* 1. Cor. 11. sic enim Trident. sess. 22. c. 1. interpretatur. 2. Eucharistiæ institutio exigit utriusque consecrationem. Nam Eucharistia ut est Sacramentum, instituta est ad